

# **Cartulaire de Marmoutier pour le Perche (N.-D. du Vieux-Château Collégiale de St-Léonard de Bellême et Prieuré de St-Martin-du-Vieux-Bellême), Nr. 24**

Ego Girardus Engolismensis episcopus et sancte Romane ecclesie legatus, presentibus et futuris notum facio quod Dominus Honorius, Papa, causam Sagiensis episcopi et monachorum Majoris Monasterii super ecclesiis de Belismo nobis commisit. Nos itaque precepto majestatis obtemperantes apostolice, et fatigationi utriusque partis parcentes, in civitate Cenomannica termino competenti, ante nos evocavimus. Ibi itaque, utraque parte ante nos assistente, episcopus Sagiensis in hunc modum causam exorsus est. Quesivit equidem investituram Belimensis ecclesie, in honore Sancti Leonardi constructe, in qua canonicos fuisse asseruit, qui antecessoribus suis sicut canonici episcopo suo obedire debent, plene obedierant ; quos per monachos expulsos esse dicebat. Monachi autem, licet de introitu suo in ecclesiam illam et de libertate ejusdem ecclesie, que per primi fundatoris dispositionem solummodo Apostolice sedis potestati et defensionem rationabiliter subjecta erat, se sufficienter rationem posse reddere assererent ; se tamen tricenali possessione, cui omnes ecclesie canonice auctoritate innituntur, defendere maluerunt. Affirmaverunt itaque quod ecclesiam Belismensem per triginta annos absque legitima reclamacione possederant, et testes idoneos ad hoc probandum se habere dixerunt. Episcopus vero Sagiensis respondit quod de ecclesia illa in concilio, quod Dominus Petrus Leonis Sancte Romane Ecclesie cardinalis et legatus Belvacensi habuit, clamorem fecit ; et ab introitu monachorum in ecclesiam illam usque ad concilium illud, triginta annos non elapsos fuisse asseruit. Addidit etiam quod, infra triginta annorum possessionem, canonici illius ecclesie Belismi in camera cujusdam archidiaconi se de ecclesia illa expoliatos esse clamaverunt. Nos autem quesivimus utrum aliquis de canonicis qui ecclesiam illam habuerant superesset et se expulsus esse conquereretur. Est autem a nobis compertum nullum de canonicis illis superesse. Nos itaque rationes utriusque partis diligenter inspicientes, necnon et perpendentes quod clamor canonicorum qui nec supererant nec conquirebantur ad episcopum non pertineret, una cum venerabilibus fratribus nostris, Galone Leonensi episcopo et Hugone et Wilhelmo Cenomanensis ecclesie archidiaconibus, et Roberto ecclesie Sancti Petri precentore, et nonnullis aliis sapientibus personis, judicavimus quod si Abbas et monachi Majoris Monasterii tres legitimos testes producerent, qui jurejurando super sacrosancta evangelia firmarent quod ecclesiam illam Belismensem ipsi monachi Majoris monasterii per triginta annos, absque legitima reclamacione, possedissent, antequam episcopus Sagiensis in concilio Belvacensi de eadem ecclesia clamorem fecisset, ecclesiam illam in perpetuum quiete haberent et possiderent, ita tamen quod episcopus Sagiensis de his, que decessor suus tempore monachorum in ecclesia habuerat, si quid forte habuerat, investiretur. Abbas vero et monachi Majoris Monasterii ad probandum quod a nobis judicatum fuerat, tres idoneos testes et eo amplius protulerunt. Episcopus vero Sagiensis probationem eorum suscipere noluit. Sanc hujus judicii recitationi interfuere : Gaufridus abbas Vindocinensis, Wilhelmus abbas Carnotensis, Fromundus abbas Meldensis, Odo abbas Majoris Monasterii, et plures ejusdem monasterii monachi : Gaufridus prior, Wilhelmus de Paciaco, Evanus sacrista, Wilhelmus de Valle, Durandus camerarius, Johannes de Corbornio, Bernardus de Belismo, Garnerius notarius, Paganus Alarici, Odo de Sancto Serenico. Clerici vero interfuerunt : Fulcherius Sancti Martini precentor, Drogo Mala

Musca, Fulcherius, Sancti Martini canonici ; Tebaudus scolasticus, Fulcodius de Montforti. Laici vero : Fulcodius primicerius Genomanensis, Drogo Mala Musca frater ejus, Hutbertus nepos donni legati, Paganus de Chemiliaco, Petrus Marani, Radulfus miles, Costantius, Christianus et plures alii, tam clerici quam laici. Et ut hoc iudicium firmiter et certius teneatur ego Gerardus Engolismensis episcopus et sancte Romane ecclesie legatus, in hac Carta, propria manu subscripsi et sigillo meo muniri feci. Ego Girardus, Engolismensis episcopus et sancte Romane Ecclesie legatus. Factum est hoc iudicium Cenomanni, anno ab incarnatione Domini M C XX VII, regnante Lodovico rege Francorum.